



PROLEGOMENA.

Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Causa, sed utilitas officiumque fuit.

STVDIA nostra, quorum quae esset origo quodque consilium iam satis superque hoc loco explicavimus, undevicesimum tradimus lectoribus benevolis eorumque curae et fidei iterum iterumque ardentem commendamus. Nam ita fere didicimus non ignari malorum, ut memoriam matrem Musarum, indefessam vero precum nostrarum repetitionem facile STVDIORVM — nutricem habeamus. Sed priusquam ad renovandam hanc venditionis negotiorumque rationem accedamus, omnibus viris clarissimis, qui per tantam annorum seriem summa cum benevolentia vel auctoritate sua et gratia vel pecuniarum collectis aut litterarum studiis nos sublevaverint atque promoverint, maximas gratias agimus neque alienum ducimus trium reminisci sollemnium, quorum faustis auspiciis undevicesimum horum commentariorum annum agere coepimus.

Atque primum quidem hic est annus ille festus, quo totus orbis terrarum Sanctissimo Pontifici LEONI XIII. sexagenarium muneris sacerdotalis et vicenarium pontificiae dignitatis decursum laeto pioque animo gratulabatur. Nihil hic necesse est a nobis commemorari, quot quantaque opera Sanctissimus Pater, qua est naturae ingenuitate acieque animi admirabili, adierit, continuaverit, exegerit; nam illustriora Eius elogia cuiusvis erudito lectori aliunde obvia sunt. At sine ingrati animi vitio silere non possumus, quantum monachi Ordinis Sancti Benedicti habeant gratiam Summo Antistiti, qui illis centralem quandam in Aventino academiam condidit et exornavit ita quidem, ut omnem fere sumptum huius donationis munusculis illis sustineret, quae fideles per nomen stipis

unciariae venerando Sancti Petri successori concinnare solent; qui nostrum ordinem Seminario Graeco praefecit, ut apostolos formarem et institueremus, qui exoptatam Ecclesiae unitatem compararent; qui amplissimum Primatis Benedictinorum munus nobis constituit multosque nostrum ob pietatem et doctrinam Sibi notam et probatam sacra purpura decoravit. Unum vere nobis superest simplexque votum: nimirum ut Deus Optimus Maximus continuus rerum secundarum successibus LEONEM XIII., Ecclesiae lumen et oraculum, fortunare pergat Eumque Urbi et Orbi incolumem, sospitem, florentem in multos usque annos servet! Interim sancta Eius bonitate et divinae providentiae consilio fisi, pontificiae tutelae praesidium, quod iam inde ab initio regni Eius toties experti sumus, in posterum quoque nobis impendi ea, qua par est religione, obnixè postulamus.

Non minore cum pietate et desiderio alterum diem nobis festum exspectamus, quo abhinc quinquaginta annos Imperator FRANCISCVS IOSEPHVS I. regnum ac diadema accepit. Nam ex quo tempore imperii habenis manum admovit, omnes ultro agnoscebant summis Eum virtutibus praeditum maiestatem semper cum religione, fortitudinem cum moderatione, prudentiam et iustitiam et magnanimitatem cum potestate in Se unum ita consociasse, ut, qui pace ac bello, prosperis et adversis exercitaretur, incomparabili genio coelitus Sibi concesso dubiorum eventuum causas ubique direxerit ad destinatum finem ipsosque eventus praeoccupaverit et incursum periculis aditum praecloserit. Neque vero de Imperatoris huius augustissimi et religiosissimi favore dubitare nobis licet, quandoquidem Ipse quam plurimos Ordinis Sancti Benedicti monachos aut in cathedras episcopales vel Austriae vel Hungariae constituit aut socios et administros consiliorum adsumpsit aut summis classium turmalium insignibus decoravit; quoniam, larga qua est liberalitate mentis, cum patrum Benedictinorum congregationibus tum monachis Cisterciensibus novas passim domos atque sedes aperuit vel auxit aliaque multa beneficia et monasteriis et scholis nostris concessit, obsignavit, asseruit. Quae cum ita sint, quo verecundiam et pietatem nostram hoc quoque loco testificemur, ardentè cupimus atque precamur Deum Optimum Maximum, ut FRANCISCO IOSEPHO I. summam valetudinis prosperitatem largiatur Austriaeque populis et patris dilectissimi et incorrupti sanctae fidei custodis et augustissimi liberalium studiorum fautoris vitam ad extremam senectutem feliciter producat!

Tertiam tandem gratulationem toto corde Vobis habemus, PATRES CISTERCIENSES, qui commilitones in Christo carissimi per octo abhinc saecula eadem nobiscum signa sequebamini atque hoc anno octingentesimum ordinis Vestri natalem celebraturi estis.

Procul absint verba! Nam eadem fortuna consortes, idem labor socios, idem fere officium sodales monachorum Benedictinorum Vos effecit, ex quo tempore Sanctus Robertus in saltu Cisterciensi primum Vestri ordinis coenobium condiderat, ex quo illustrissimus et sanctissimus Bernardus Claraevallensis totum mundum virtutum suarum gloria impleverat, ex quo maiores Vestri extremos Germaniarum incolas humanitate instruebant, agri culturam docuerant, architecturae, quae vocatur, Gothicae artem atque usum pervulgabant. Itaque Dei Optimi Maximi benignitate freti Vobis per saecula futura et rem et gloriam integram salvamque vivere et vigere peramanter cupimus atque exoptamus.

Quibus votis omnibus ad coelum directis benevolos lectores, ut apud nosmet ipsos paulisper deversentur, invitare forsitan licuerit. Nam etiam RAIGRADII in nostro monasterio, ubi annis abhinc undeviginti piam Sancti Benedicti memoriam propagaturi haec STVDIA e primis cunabulis levavimus atque toties ex eo tempore edidimus, festum diem quamvis certo loco inhaerentem agere licebit celeberrimo clericorum et saecularium conventu: diem dico anniversarium, quo ante hos octingentos quinquaginta annos BRETISLAVS Boëmorum dux fundamenta Ecclesiae Raigradiensis posuit maioribusque nostris certam hanc sedem constituit, ubi usque adhuc corporis nostri hominibus ad voluntatem regulamque Sancti Benedicti iuste honesteque vivere et Deum Optimum Maximum pura mente venerari licuit. O salve festa dies meliorque revertere semper! Attamen taeterrimi, pro dolor, absinthii gutta, quae dicitur, ne incidat in laetitiarum poculum, vehementer timemus neque semper, qui in STVDIA edenda curas et diligentiam contulimus, omni domestica sollicitudine nos expedire valemus, siquidem in futurum atque dubium STVDIORVM statum cogitationes nostras intenderimus. Itaque benignis velimus auribus accipias, lector benevole, quae praemissis praemittendis etiamnunc nobis dicenda sunt.

Nimirum quisquis numerum monachorum Benedictinorum et Cisterciensium, quos annis MDCCCLXXXV et MDCCCLXXXVI in utriusque ordinis album relatos esse constat et in IV., quem anno praeterito emisimus, STVDIORVM libello sub uno aspectu positos exhibuimus, vel cursim percensuerit atque cum numero clericorum comparaverit, qui repraesentandi STVDIORVM pretii officium in se receperint, is facile profecto intellet: in ipsis plane monachorum nostrorum collegiis parum auxilii praesidiique nobis adhuc exstitisse. Etenim mille ducentorum exemplarium, in quae tribus abhinc annis commentarios nostros exeudendos curare consuevimus, cum omnino mille tantum et septuaginta divendi vel aliis libris permutari potuissent, a monasteriis monachisque, quorum utique

rationibus commodisque et disserendo et communicando prospicimus atque consulimus, non amplius trecenta sexaginta tria exemplaria vel centesimae in singulos annos vix tricenae binae in antecessum emebantur: videlicet a monachis monasteriisve Benedictinis CCXCII, a Cisterciensibus LXXI eorumque omnium exemplarium in Austria-Hungaria CLVIII, in Germania IV, in Bavaria XXXVI, in Gallia VII, in Belgica V, in Anglia VI, in Helvetia XXI, in Hispania I, in Lusitania I, in Italia IX, in America XXXIV, in Australia I. Quae cum ita sint, quid iam nobis aliud restat post diurni et laboriosi operis laudatum quidem, sed permodestum successum, quam ut tutelam et auxilium illustrissimorum Antistitum amicorumque dilectissimorum demisso, sed alacri tamen animo iterum deposcamus et ab iisdem expostulemus, ut ipsi et excudendas dissertationes nobis transmittere pergant et novos STVDIIS adquirant emptores atque in munere nostro recognoscendo benignitati iudiciorum verborumque addant commendationis suae factorumque pondus, ne quando cum poëta nobis querendum sit:

Nos quoque floruimus, sed flos fuit ille caducus!

At iam finem his Prolegomenis imponamus necesse est primumque hunc vertentis anni libellum, in quem nos multum laborem impendisse testamur, e manibus dimittemus. Vale igitur, liber, et vade virtute duce, comite fortuna, aequis commendatus censoribus: nobis autem, qui te egredientem faustis prosequimur precationibus, hoc quoque anno Numen Supremum propitium esto in propaganda fide et indaganda veritate!

Datum Raigradii prope Brunam in festo Sancti Benedicti anno salutis MDCCCLXXXVIII.

